Johanssen - De Elegia et peculiari ejus operis indole, etc.

DE ELEGIA

ET

PECULIARI EJUS OPERIS INDOLE APUD ROMANOS

ADDITA AESTIMATIONE SCRIPTORUM, QUI IN EO RESTANT.

SCRIPSIT

J. JOHANSSEN.

CHRISTIANIAE.

MDCCCLXXV.

PRØVEFORELÆSNING

VED CONCURRENCE OM PROFESSORATET I LATINSK PHILOLOGI.

DET MALLINGSKE BOGTRYKKERI.

Versibus impariter junctis querimonia primum,
Post etiam inclusast voti sententia compos;
Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor,
Grammatici certant et adhuc sub judice lis est,

ait Horatius (a. p. 75—78), et verbum illud *ἔλεγος*, unde ductum est nomen ejusmodi carminum apud Graecos usitatissimum, quod est *τὰ ἐλεγεῖα* vel apud posteriores *ἡ ἐλεγεία*, proprie flebiles cantus modosque significare videtur, velut apud Aristophanem in Avibus luscinia Ityn amissum *ἐλέγῳ* deflere dicitur (Aristoph. Avium v. 209 sqq.:

ἄγε σύννομέ μοι, παῦσαι μὲν ὕπνου
λῦσον δὲ νόμους ἱερῶν ὕμνων,
οὓς διὰ θείου στόματος θρηνεῖς
τὸν ἐμὸν καὶ σὸν πολύδακρυν Ἴτυν
ἐλελιζομένη διεροῖς μέλεσιν
γένυος ξουθῆς·
καθαρὰ χωρεῖ διὰ φυλλοκόμου
σμίλακος ἠχὼ πρὸς Διὸς ἕδρας,
ἵν' ὁ χρυσοκόμας Φοῖβος ἀκούων
τοῖς σοῖς ἐλέγοις ἀντιψάλλων
ἐλεφαντόδετον φόρμιγγα, θεῶν
ἵστησι χορούς).

Ut hic tibicen cantum prosequitur opponiturque elegis lyra Apollinis, ita saepius *ἔλεγοι* expressis verbis cum flebilibus tibiarum modis conjunctissimi esse dicuntur atque tamquam hilaris lyrae

modulis contrarii *ἄλυροι* vocantur (Eurip. Iph. Taur. 146; Hel. 185; Didym. ad l. c. Aristophanis: *ὅτι ἔλεγοι οἱ πρὸς αὐλὸν ᾀδόμενοι θρῆνοι· τὸν γὰρ αὐλὸν πένθιμον ὑπειλῆφθαι* cfr. Christium de re metrica Graecorum et Romanorum p. 230). Elegi vocabulum quum neque ab eo quod est *εὖ λέγειν* neque ab *ἔλεγειν* e legibus sermonis fieri possit nisi *εὔλογος, ἔλογος*, alii non a Graeco fonte derivatum esse arbitrantur, alii, ut mihi videntur, satis verisimiliter, ab exclamatione quadam lugentium *ἒ λέγε, ἒ λέγε ἕ* originem traxisse statuunt, collatis aliis carminum nominibus, qualia sunt *Ἰόβακχος, Ἰηπαιήων, Αἴλινος.* (Plotius III, 43 elegiacum metrum dictum est, quod e e sonat interjectionem flentis, et hoc metro mortuis fletus componebant antiqui). Usitatissimum vero horum carminum nomen *τὰ ἐλεγεῖα* esse quum jam dixerim, *τὸ ἐλεγεῖον* autem semper fere distichon e versibus dactylicis hexametro et pentametro compositum significet, ut in hoc nomine non minus quam in iamborum vocabulo versuum maxime genus statuamus secutos esse Graecos, facile adducimur. Subtilissimo autem judicio gentem illam eximio pulchri sensu praeditam, quae argumenta quibus versibus apta essent, perspexisse perspectamque harum rerum inter se rationem optime servasse quis ignorat?

Et elegias quidem quae et a principio semper et posterioribus quoque temporibus interdum cantatae, non recitatae esse videntur (cfr. Christ. l. c. p. 231), quamquam plura earum genera distinguuntur, velut politicum, bellicum, conviviale, lugubre, amatorium, neque multae integrae restant, dum vigent litterae Graecae, non versuum modo genere contineri videmus; medium enim quoddam est genus inter epicum et lyricum; nam poëta ut a tranquillitate et serenitate epicorum remotus est, ita libero lyricorum impetu non fertur; commotiore autem animo sensus suos latius expromit, sive ille in externis internisve periculis cives hortatur monetque, sive lugentes ipse dolore afflictus dulci consolatur carmine, sive gaudio exhilaratus convivium grato Musarum munere exornat. Videtur etiam elegiaca poesis, si historiam ordinemque diversorum generum spectamus, ab epica proxima esse, a cujus forma distichon elegiacum non nisi thesibus tertia ultimaque in altero quoque versu sublatis discedit, ortaque et ipsa est ac maxime exculta apud Iones.

Primum enim ejus auctorem fuisse ferunt Callinum Ephesium*) circa primae Olympiadis tempora, cujus una tantum, neque ea integra, restat elegia, qua sermone et elocutione prope ad Homericam accedente cives ad fortitudinem exhortatur. In argumentis huic similibus versantur elegiae Tyrtaei, quas in bello post cenam certatim recitasse feruntur Spartani; Archilochus vero dura fati mala ut viriliter perpetienda canit, ita vino consolatur. Sed non est, cur poëtas elegiacos Graecorum percenseam, quos pro moribus insitaque cuique natura modo fortiores modo molliores animi sensus variis in argumentis sive e republica sive e privatorum vita petitis distichorum serie detexisse videmus. Unus tamen praetereundus mihi non est Mimnermus Colophonius circa a. 630 a. Ch. n., tibicen idemque poeta elegiacus (Strabo XIV, p. 643), qui primus in amoris maxime gaudiis doloribusque molliter et dulciter exprimendis versatus est, et quum auream celebrans Venerem ad vitam hilariter fruendam exhortatur, querimonias admiscet, quibus juventutis brevitatem molestiasque senectutis miseratur. Hunc enim potissimum secuti esse dicuntur poëtae, postquam denuo Alexandriae effloreseit elegia. Quam urbem sub Ptolemaeis non commercio solum omnisque generis quaestu floruisse, sed quasi postumas quasdam Graeciae litteras procreasse et fovisse satis est notum.

Librorum enim summa copia ibi collecta regalique munificentia conditorum Musei illius praeclarissimi omnia fere illorum temporum ingenia vel doctrinae vel artis poëticae laude insignia alliciebantur in illam urbem, proveniebantque quum in omni doctrinae parte tum in plurimis poëseos generibus ingeniosi sane scriptores. At docti illi viri, quibus maximam par est nos habere gratiam, quod summo studio curaque nunquam cessante opera illa verae Graeciae collecta conservarunt et ad ea intellegenda penitusque percipienda tot tantaque nobis praebuere subsidia, quum in poësi elaborarent, non jam cives liberae reipublicae, sed aulae orientalium fere regum sectatores vel toti libris dediti versificatores ple-

---

*) Hunc enim et ante Archilochum vixisse dicit Strabo XIV, p. 647 et Aristoteles inventorem elegiae existimasse videtur — cfr. scholium Bobiense ad Cicer. or. pro Archia p. 358 ed. Orelli (Christ. l. c. p. 228).

rumque meliores quam poëtae evaserunt, accurata metricae artis et mythorum historiarumque scientia magis quam poëtica vi valentes. Ex his igitur complures quum elegiam praecipue colerent, Mimnermi maxime vestigiis insistentes saepissime amores suos celebrasse videntur, summamque in hac re laudem adepti sunt Philetas ab insula Coo oriundus et Callimachus Cyrenensis, quem exemplum et imaginem immensae illius bibliothecae, cui praefectus erat, non inepte appellarunt; nam quum non minus octingenta volumina scriberet, in omnibus litterarum partibus elaboravit.

Horum fere temporibus prima litterarum initia Romae orta sunt, hominesque de infima saepissime plebe quum patriam illustrare conarentur rudibus illis quidem etiamtum et incomptis operibus, sed qvae alte descendisse in animos poëtarum amorem litterarum Graeciae et admirationem ostenderent et vi interdum vere poëtica ferrentur, bene accidit, ut exemplaria Graeca ex Alexandrinis petere non possent, quippe quibus vixdum innotuissent nisi scriptores in scenis vel scholis Magnae Graeciae triti. Hos dum imitantur primi illi Romanorum poëtae, consecuti sunt, quod in miseris plerumque suis rebus suo jure speraverant fore, ut posteri grato eos venerarentur animo, classicorumque diu obtinuere locum. At sub finem liberae reipublicae quum jam multo frequentior inter Graecos et Romanos intercessisset consuetudo, et vel hi saepissime etiam studiorum causa Graeciae urbes adirent, vel docti illorum homines regnis plerisque successorum Alexandri exstinctis vel certe labentibus Romanos sibi peterent reges, velut Panaetius philosophus Scipionem Aemilianum, multos Archias poëta coluit, antiqui illi poëtae et qui eorum presserant vestigia, quin multis sordere viderentur, fieri non potuit.

Tunc adolescentes Romani a Graecis magistris diligenter instituti Alexandrinos, quorum eo tempore maxime florebat auctoritas, effingere et exprimere student, nitore et elegantia versuum nec minus fortasse doctrinae reconditioris copia capti. Cicero quidem et ejus aequales nimiis etiam interdum laudibus antiquos extollunt poëtas et ille partim indignabundus partim irridens *τῶν νεωτέρων* (Cic. Att. VII, 2, 1), cantorum Euphorionis (Tusc. III, 45) ut hominum arroganti contemptu veterum et cura metrorum mo-

lesta insignium facit mentionem. Sed motus ille animorum naturae rerum et rationibus temporum aptus inhiberi non potuit, et fuerint sane non magni aestimanda pleraque illa »parva monumenta« (Catull. 95, 9) a nobilibus adolescentibus perfecta; licet paucis admodum et contigerit et contingere debuerit, ut versus eorum servarentur et cognoscerentur, maxima tamen iis praebuerunt adjumenta, qui in aetate Augustea, quod summum poëtis Romanis concessum erat, implevere fastigium. Nam adolescentes illi, qui, et vinculo amicitiae et sodalicio quodam litterario inter se conjuncti fuisse et dum formae pulchrae atque artis studiosissimi eruditioni accuratae operam dant, Valerio Catone grammatico usi esse videntur duce ac magistro, non solum magnum apparatum fabularum mythologicarum reconditarum collectum composuere, sed etiam diversissima metra summo leges versuum subtiliores cognoscendi et observandi studio excoluerunt (hendecasyllabos, choliambos, iambos, galliambos etc.).

Disticha quam jam diu Romanis in usu essent, velut una ex inscriptionibus, quae in Scipionum sepulcris exstant, Cn. Cornelii Scipionis praetoris anni u. c. 615 hujusmodi versibus confecta est, elogiumque jam consentiunt viri docti nihil nisi ἐλεγεῖον esse, et Lucilius inclutus ille satirarum scriptor etiam pentametros hexametris adjunxerat, jam pridem saepe in epigrammatum lusu ad parvula amatoria carmina componenda adhibita erant, qualia refert Gellius XIX, 9 a Valerio Aedituo, Porcio Licino et Q. Catulo conscripta, velut hoc Aeditui:

Qui faculam praefers, Phileros, quaest nil opus nobis?
  Ibimus sic, lucet pectore flamma satis.
Istam non potis est vis saeva exstinguere venti
  Aut imber caelo candidus praecipitans,
At contra hunc ignem Veneris, nisi si Venus ipsa,
  Nullast quae possit vis alia opprimere.

Cantorum vero Euphorionis quum complures elegiacum quoque metrum tractasse traditum est, tum elegias, qui principem inter illos obtinet locum, Catullus et amicus ejus intimus C. Licinius Calvus in arte oratoria Atticorum dux primi composuisse videntur.

C. Valerius Catullus ardens ille adolescens, quo nemo fortasse

Romanorum ingenio verius poëtico praeditus fuit, ancipitem quodammodo reliquit poësin; nam partim exemplarium Graecorum studiosissimus imitator, ita ut quum alia verterit tum etiam carmen quoddam Callimachi illepidum et invenustum de coma Berenices — quod quamquam distichis confectum elegiam num vocare liceat jure dubitatur — opuscula quaedam mythis, comparationibus aliisque ornamentis laboriosissime collectis excudit et elecubravit, partim amore vel odio incitatus, gaudio elatus, vel dolore confectus carmina fudit, quae licet inquinatissimis illius temporis moribus haud raro maculata sint, rurisque inficeti nonnunquam maneant vestigia, amicos multos Musae ejus conciliavere conciliabuntque. Etiam elegiae ejus, si hoc nomine 68, 76 appellare fas est, tum argumento turba rerum confuso et digressionibus e mythologia petitis impeditae sunt, tum veros et infucatos dolores suavissime exprimunt, ubi vel semet ipse hortatur, ut longum deponat amorem vel mortem immaturam fratris amatissimi tenerrimis luctibus prosequitur. — Sed quemadmodum disticha Augusti demum aetate legitimum nacta sunt nitorem, quum in Catullianis non pauca exstent nondum firmatae artis vestigia, ita elegia tum vel non multo ante ut proprium opus excolitur et peculiarem ostendit indolem. Pace enim per orbem parata postquam otium omnibus supererat, quum gloriam rerum principatus omnia ad se trahens praecluderet vel impediret, poëtas autem magno favore amplecteretur Augustus, dum populus levis mente mutata uno scribendi studio calet, permulti exstiterunt, qui non ut olim subsicivis tantum horis vel adolescentes copiae rerum verborumque parandae atque eloquentiae alendae causa carminibus pangendis operam darent. Latiorem itaque nacta sunt campum studia illa artis poëticae, quae sub finem liberae reipublicae litteris artibusque Graecis altius in dies animos penetrantibus Romanorum effloruerant, et certatim exculta sunt quum alia poësis genera, tum elegia ab hominibus ingeniosis, quibus summae curae erant carmina, per quae aeternam se consecuturos esse gloriam sperabant.

Ut enim in epica poësi Virgilius, in lyrica et satirica Horatius et priorum et posteriorum praestrinxerunt laudes, ita elegia intra

paucorum annorum spatium a Gallo, Tibullo, Propertio, Ovidio tractata cum hoc cecidit.

Hos quattuor solos poëtas elegiacos non modo Quintilianus in notissimo illo litterarum conspectu (X, 1, 93) memoria dignos esse putavit, sed etiam Ovidius non nisi tres illos ante se hoc opus coluisse testari videtur (Trist. IV, 10, 53*)).

Argumentum vero horum elegorum praecipuum amores sunt, quo nomine et Ovidius suos appellavit et Gallus carmina sua de Lycoride (Cytheride) vocasse dicitur (Virg. Ecl. 10, Servius ad h. l.); et Propertius primo elegiarum libro, quem fortasse solum ipse edidit, nomen dedit Cynthiae puellae suae. Quas amant autem mulieres poëtae? Meretrices, quae, licet etiam ingenio amabili et doctrina artibusque satis polito, non voluptatis tantum illecebris eos ceperint et devinxerint, sine pudore et verecundia amantur, quas ne muneribus alii ditiores ab se abducant, timere coguntur, immo quas aliorum servire libidinibus sciunt. Quin etiam puerorum foedis amoribus inquinantur carmina. Fluctuant igitur magno libidinum aestu, «macerant eos libertinae nec uno contentae» (Hor. epod. 14, 15); modo gaudio exsultant, modo dolore affliguntur, modo ira concitantur, modo spe efferuntur, modo timore exanimantur, nunc suppliciter precantur, nunc ferociter minantur, nunc amoris vincula exuere frustra conantur. En res dignas, quibus cum arte et cura describendis viri insumant vitam! Sed mores Romanorum quam fuerint dissoluti et impudici, postquam familiae vincula laxata erant et graecari didicerant, aliunde satis notum est; quin immodicae et vix humanae libidinis etiam summorum virorum velut Augusti abunde constant exempla.

Meminerimus etiam funestam et fatalem consuetudinem inter hominem et poëtam vel, ut apertius dicam, inter mores carminum et mores auctoris distinguendi ab Catullo incipientem latissime patere; ut ille c. 15:

---

*) — nec amara Tibullo
Tempus amicitiae fata dedere meae.
Successor fuit hic tibi, Galle: Propertius illi:
Quartus ab his serie temporis ipse fui.

Nam castum esse decet pium poëtam
Ipsum, versiculos nihil necessest,
Qui tum denique habent salem ac leporem,
Si sunt molliculi ac parum pudici
Et quod pruriat, incitare possunt,
Non dico pueris, sed his pilosis,
Qui duros nequeunt movere lumbos,

ita Ovidius (Trist. II, 353 sqq.):

Crede mihi, distant mores a carmine nostro
Vita verecunda est, Musa jocosa mea,
Magnaque pars operum mendax et ficta meorum
Plus sibi permisit compositore suo.

Nam re vera e propria poëtarum vita omnia fluere ut statuas, vix fieri poterit, si elegias eorum accuratius spectaveris; adeo multos quasi communes locos offendimus, quibus antea praeparatis omnes alium alio modo uti videmus, et omnino typica quaedam rerum et affectuum forma non raro apparet.

Certe hi «nequitiae suae poëtae» (Ovid. am. II, 1, 2, cfr. Prop. II, 23, 6) non libidinibus perturbati, carmina fuderunt; sunt, ut ait Bernhardius (R. L.[3] p. 544) de Propertio, commentatores gaudiorum et dolorum suorum; inter voluptatem et ultimam limam poëtae multum interpositum est non solum temporis, sed etiam cogitationis et meditationis; non libididine ardentes, sed praeteritae bene memores scribunt, et quanta cum arte et varietate alterna se jactari in unda (Prop. II, 12, 7) demonstrant. Nunc incitatiore et vehementiore, nunc leniore et tranquilliore moventur animi affectu, donec sedato mentis tumultu requiescunt vel pectus saltem sensibus libere et plene expressis levatur. Latiori hujus affectuum motus expositioni inseruit copia exemplorum et similium, quae maximam partem e fabulis mythologicis petita carmina illustrant, quemadmodum orationes lumina dicendi. Quae consuetudo ut minime ab ingenio Romanorum abhorret, qui natura quodammodo ad rhetoricam ferebantur — et videbatur iis omnino poësis eloquentiae pars (cfr. Dial. de or. 10) oratoriumque aliquid apud plerosque eorum poëtas deprehendere licet etiam quum rhetorum disciplina nondum omnes adolescentuli instituebantur —

ita ab Alexandrinorum imitatione fluxit. Quae imitatio quam late patuerit, quum dissentiant viri docti, nec dijudicari possit, quoniam nihil fere ex elegiis eorum reliquum est, inter omnes tamen constat reconditissimis quibusque fabulis maxime eos delectatos esse adeo, ut saepe carmina obscurarent, discipulumque eorum Parthenium et ipsum elegiacum poëtam, qui Romae ob doctrinam manumissus quum alios tum Virgilium Graece docuisse dicitur (Macrob. Sat. 5, 17), Cornelium Gallum apparatu mythorum instruxisse videmus libello *περὶ ἐρωτικῶν παθημάτων* ad eum misso. Abundans talium rerum copia non raro vim carminis frangit et debilitat taediumque affert lectori, quum praesertim nonnunquam non nisi doctrinae ostentandae esse videatur. Multa sane lectione formatos esse summamque curam ac laborem adhibuisse hos poëtas apparet oderuntque cum Horatio et arcent profanum vulgus, nec populo, sed auribus hominum liberali doctrina politorum teretibus et religiosis placere student. Et sunt illi quidem magni dicendi versuumque faciendorum artifices. In his rebus aestimandis optime eo adjuvamur, quod carmina aliquot Catulli elegiaco metro conscriptae vetustatem pertulere. Quas si spectaveris, sordes verborum atque hiantem compositionem non raro antiquitatem redolere et elocutionem inaequalem ad prosaicam interdum delabi humilitatem senties. At apud hos Augusteae aetatis elegiacos non solum admirabilis est suavis versuum cum sententiis concentus, sed elocutio nitida et elegans aequabilitate maxime excellit; numerosa oratio nunquam interrupta vel fragosa aures delectat movetque animos, ut haud sciam, an nusquam alibi apertius ostendatur, Latinos felici jucundae variaeque compositionis cura gratiam ac varietatem linguae Graecae multo majorem pensare quodammodo potuisse (Quint. IX, 4, 145).

Hanc elocutionis et compositionis praestantiam maxime spectasse Quintilianum, quum de elegia loqueretur, crediderim. «Elegia quoque», inquit, «Graecos provocamus, cujus mihi tersus atque elegans maxime videtur auctor Tibullus. Sunt, qui Propertium malint. Ovidius utroque lascivior, sicut durior Gallus». (X, 1, 93). Bonnellus, interpres Quintiliani doctissimus, annotavit, vix posse dubitari, quin hic lascivia quoque de stilo et oratione dicatur, si la-

sciviam et duritatem etiam alibi in hac re inter se opponi apud Quintilianum animadverterimus, velut IX, 4, 142 ait: In universum, si sit necesse, duram potius atque asperam compositionem malim esse, quam effeminatam et enervem — et cotidie magis lascivimus syntonorum modis saltitantes (cfr. etiam X, 1, 88 & IV, 1, 77).

Cornelium Gallum (685—728 a. u.) Virgilii et aliquamdiu Augusti amicum, cujus elegiarum nihil restat, celebravisse jam dixi quattuor amorum libris Cytheridem, quam falso nomine Lycoridem appellavit, tralaticio enim more in amatoriis carminibus nomina puellarum suarum mutarunt poëtae, saepe ex Apollinis Musarum praesidis cognominibus variis deflectentes — velut Deliam pro Plania dixit Tibullus, Cynthiam pro Hostia Propertius — nonnunquam poëtriae insignis nomine eas ornantes, quomodo Corinnam vocat suam Ovidius, fictaque nomina ut cum veris non numero tantum syllabarum, sed etiam quantitate convenirent, operam dederunt.

Elegos Alexandrinorum more vel ante Gallum vel eodem fere tempore scripsisse quum alii videntur, tum P. Terentius Varro Atacinus (c. 672—717 a. u.) et C. Valgius Rufus Horatii amicus (cos. a. u. 742). Illius opera deperdita esse non fieri potest, quin aegre feramus, quia is primo Ennii veterumque vestigia sequens quum epos satirasque composuisset, postquam non jam adolescens Graece didicerat, poëtas Alexandrinos summo studio satisque feliciter (Qvintil. X, 1, 87) partim in Latinum vertisse sermonem partim imitatus esse narratur, quare in eis quasi gradus progredientis artis bene cognosci potuisse putandum est.

E tribus illis, qui cum Gallo quasi in numerum elegiacorum redacti sunt, huic tempore proximus est: Albius Tibullus, amicus Horatii intimus, ut testantur et carmen (I, 33) et epistola (I, 4) ad eum familiarissime scripta. Is, ut jam dixi, tersus atque elegans maxime elegiae auctor Quintiliano videtur et mea sententia palmam ferre debet. In sylloga carminum, quae sub nomine Tibulli fertur, non nisi elegiae habentur, excepto Panegyrico ad Messallam, amicum ejus potentem, qui hexametris conscriptus est; tertium autem elegiarum librum non Tibulli esse jam pridem demonstravit Johannes Henricus Vossius, verique similiter in domo Messallae ab imitatore quodam Tibulli conscriptum esse putant. Carmen unum

(I, 7) quod fortasse primum est, satis infelix et aridum ornamentisque assutis implicatum natalem Messalae celebrat, altero majore (II, 5) non multo felicius Messalino Messalae filio in collegium XV virorum sacris faciundis cooptato gratulatur; plerisque amores suos Marathum puerum, Deliam, Nemesin celebrat; Glycerae, cujus causa miserabiles cum decantasse elegos dicit Horatius (c. I, 33), in carminibus ejus nulla fit mentio; omnium fere quarti libri elegiarum, quod mireris, causa et occasio amores juvenis cujusdam, qui Cerinthi nomine appellatur, et Sulpiciae, cujus epistolae aliquot inseruntur. Varietate rerum non excellit Tibullus; nam in duobus fere versatur argumentis, amore vitaeque rusticae laude, quae artissime inter se conjunguntur et singulari studio summaque arte tractantur. Rusticorum enim vita, quorum labores jucundi nec periculis obnoxii simplici dierum festorum hilaritate levantur ac recreantur, referre ei videtur incorruptos simplicesque illos priscorum hominum mores piumque deorum cultum, quarum rerum summo desiderio tenetur. Ibi cum amica bene fida placidam et otiosam degere vitam cupit, ut est omnino ad lenes suavesque quam ad concitatos affectus proclivior, desiderii dulcis quam ardoris fervidi plenior, flebilis potius quam acerbus. Formae vero venustatem nunquam diserte describit neque voluptates libidinosas accurate celebrat. Vigent autem semper affectus ejus, sive laetatur, sive dolet, et plerumque veritate inaffectata animos legentium juvant, felicissime tamen in querimonias effunditur. Non nisi raro perspicuum et simplicem sententiarum cursum impedit arcessita doctrina; exornat ille quidem saepe carmina insertis fabulis et descriptionibus, sed vix unquam reconditioribus, vel quae sensui lumen non afferant. Carmina ejus quaedam transpositionibus majoribus vel minoribus ad formam quasi schematicam injuria revocasse mihi videntur viri docti eo decepti, quod rhetoricae cujusdam dispositionis studium etiam in eo nonnunquam apparet. Audacioribus figuris tropisve nunquam fere utitur et in summa a simplici et in promptu posito dicendi modo non discedere videtur, quum tamen elocutionis nitore et decore plerosque vincat, compositio elegans aures mulceat blandusque versuum sonus cum dulcibus animi affectibus optime consentiat.

Sextus Propertius (c. 705—739) inter amicos Maecenatis receptus, quamquam neque ejus ab Horatio neque Horatii ab eo unquam fit mentio, in elegiaco modo genere elaboravit. Ut jam Quintiliani temporibus erant, qui eum Tibullo anteponerent, ita nunc haud pauci eum pluris faciunt, velut Hertzbergius, qui summis eum effert laudibus: «Hujus carminibus duae maxime res proprium et inexstinctum quendam colorem tribuunt; primum concitatorum affectuum ardor, quibus ut ipse quamvis maceratum gaudere se profitetur, ita impetu modo et fragore magno fertur, modo concitati maris instar fluctuat et redundat: ab altera parte sagax et ut ita dicam molle ingenium, quod udae argillae instar impressarum rerum vestigia facile recipit et fideliter servat. Nam adjutus prompta memoria omnia, quae carmine digna sub mentis aciem venerunt, argutis non modo lineis audacter et ad veritatem adumbrat, verum succi et sanguinis plenas imagines oculis proponere et quodammodo vivas iterum procreare audet. His si tertium addideris, quamquam absque hoc duae illae rationes conjunctae ne cogitari quidem possint, animus erit firmus et continens et qui ipse sibi temperare non nesciat. Hoc enim destitutus nemo ex ipsis mentis turbis emergere suosque affectus, vix restinctis animi incendiis, tamquam alieni sint, custoditos eo quo diximus modo explicare et decenter excolere potuerit. Itaque in ipsa copia non effluit nec quum plurima ut dicat, animus suadet, omnia ebullit, sed eminentia solum et veluti capita rerum acri judicio delibat, exuberantem materiem dicendi vinculis compescit, superfluam quoddammodo sarmentorum luxuriem amputare non dedignatur. Rursus in singulis, quamvis videatur concitatissimus, limae solertiam tantum abest ut refugiat, ut verborum concinna proprietate insitam affectuum vim augeat. Nec quum varios et diversos sensus aestuans percurrit, dispositionis prudentia caret« (Propertius 1, p. 60). Nimiae sane justoque majores mihi videntur hae laudes. Id non fateri non possumus, majorem esse in eo affectuum varietatem atque vehementiorem animi vim. Multo altioribus et concitatioribus fluctuat undis quam Tibullus; varias et multiplices rerum imagines colorat amor Cynthiae, quam unam mulierem carminibus celebravit etsi «ad formosas nunquam caecus erat« (III, 15 [II, 22], 20). Sed et

carmina non pauca suasoriis (velut III, 8) simillima scholas redolent rhetorum, et dum Alexandrinorum insistit vestigiis, inter quos Philetam et Callimachum saepe maxima cum admiratione commemorat, abundantem mythorum et historiarum reconditarum copiam ita adhibet, ut non raro in iis summa carminis versetur. Allegoriis vero et translationibus adeo deditus est, ut nonnunquam obscurus fiat. Vivum quoque ac velox ejus ingenium ita eum abripit interdum, ut non sine diligenti ac longo studio perspice possint sensus ejus et rationes. Quamquam dicunt nonnulli, quo altius in eum penetraverint, eo se allici vehementius, quemadmodum in Tacito fieri consentiunt plurimi. Sed ante omnia miro illo dissimilium concentu, quam *ἁρμονίαν* vocant, superare eum mihi videtur Tibullus, cujus elegiae optimae pulcherrime et svavissime poëtam variis variorum affectuum undis jactatum tuto in portu collocant. Propertius vero vix unquam tale quid habet, nec inepte mihi dixisse videtur Gruppius cum singulis Tibulli elegiis non comparari posse nisi libros elegiarum Propertii singulos. Secernit ipse Propertius [V (IV), 1, 135] quodammodo ab elegis carmina nonnulla libri quarti (vel potius cum Lachmanno quinti), in quibus *Αἴτια* Callimachi imitatus epico paene modo originem institutionum fabularumqve quarundam Romanorum explicat.

Haec fortasse admodum juvenis ante Cynthiae amorem inchoaverat, post discidium autem perfecisse eum demonstrant artis metricae periti, nam severiores multo versuum leges in iis quam in ceteris observat. Et Tibullum et Propertium amore vere commotos fuisse et plus quam libidinosas voluptates inde quaesivisse, nemo potest non videre; etiam si communes quodammodo eroticorum locos tractant, veris omnia affectibus complentur et animantur, mulieresque, quas amant, quasi vivere et moveri videmus. Sed longe aliter se res habet apud P. Ovidium Nasonem.

Mirabili ille ingenii mobilitate et versatilitate insignis per elegos ingredi famam auspicatus est, in quibus quum levitas animi apparet tum summa versuum faciendorum ars et facultas orationis artificiose noveque struendi, quam, etsi levitate sententiarum et licentia compositionis vitiosam, non admirari non possumus. E rhetorum et declamatorum disciplina hunc saeculi sui amatorem pro-

disse ubique fere videre licet, nam affectus animi describit ille quidem facetissime, sed raro iis motus ipse videtur, et saepe argumenta aliis jam tractata in ostentationem vel comparationem ingenii ludentem eum arripuisse credas. Corinnae, quam re vera se amasse alibi testatur poëta (A. a. III, 538; Trist. IV, 10, 60), vividam eum reliquisse imaginem vix quisquam dixerit, commodeque et acute dictum est, nil videri obstare, quominus longam elegorum seriem uno tenore nullo animi motu perturbatum confecisse eum putemus. Non paucae certe elegiae nihil sunt nisi declamationes versibus conscriptae (I, 11 & 12; II, 2 & 3; II, 7 & 8).

Ut rhetoricus ille lusus, ita etiam obscena et putida libido, vel potius ironicae quodammodo libidinum descriptiones longe eum a prioribus removent. Raro tantum veri et naturales sensus calent, ut in III, 9, ubi Tibulli mortem deflet.

Conjunctionem vero animorum beatam, cujus spe et desiderio et Tibullum et Propertium teneri apparet, Ovidius in amore non quaesivit; «Me«, inquit, «modo decipiant voces fallacis amicae,

Sperando certe gaudia magna feram:
Et modo blanditias dicat, modo jurgia nectat,
Saepe fruar domina, saepe repulsus eam.

(Am. II, 9, 43—46).

Interdum horrenda libidinis foeditate stupere cogimur, veluti quum ait:

Quid geminas, Erycina, meos sine fine dolores?
Non erat in curas una puella satis?
Quid folia arboribus, quid pleno sidera caelo,
In freta collectas alta quid addis aquas?
Sed tamen hoc melius, quam si sine amore jacerem.
Hostibus eveniat vita severa meis.
Hostibus eveniat viduo dormire cubili,
Et medio laxe ponere membra toro.
At mihi saevus amor somnos abrumpat inertes,
Simque mei lecti non ego solus onus.
Me mea disperdat nullo prohibente puella,
Si satis una potest, si minus una, duae.

(II, 10, 11—22), et multo sunt foediora, quae sequuntur.

Praeter tres (ab initio quinque) amorum libros elegiis ascribendae sunt etiam epistolae vel heroides, facetae sane suasoriae, quas ab heroinis conscriptas esse fingit lepido nusquam non pellucente joco. Nec multum distant quasi didactica opera, ars amatoria et remedia amoris, quorum prius magnis laudibus extollunt non pauci philologi et quae mira narrandi arte et callidis animorum descriptionibus excellere vix quisquam negaverit*).

*) Elegiaco metro praeterea usus est Ovidius et in epistolis, quas ex Ponto Romam misit (Trist. l. V, Ep. ex Ponto l. N.) et in Ibide, iambici fere generis opere, et in Fastis.